

dum, & suburbana earum ad alenda iumenta & pecora sua.

* Num. 14. 24.

* Num. 13. 4.

Ergo anno 7. postquam ingressi sunt terram hanc, quam adierunt post annos 38.

à missione Calebi & Cadesbarne.

* Deut. 2. 14.

Unde colligitur Iosue interrogans de bellandis Chananeis impendisse, cum anno 2560.

terminandum: Atque hinc, annos intermissionis legis incipere, scilicet, anno M. 2560.

Ant. Chr. 1444.

Eccl. 46. 11.

† Id est agros & villas illius: ipsa urbe cum suborbis reservata & sacerdotibus in civitatem refugii tradita.

Inf. 21. 13. & 1. Par. 6. 56.

* Sup. 11. 23.

6. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus: * Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cadesbarne.

7. Quadraginta annorum eram quando misit * me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem Terram, nunciavique ei quod mihi verum videbatur.

8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.

9. Iuravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.

10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem, Quadraginta & quinque anni sunt, * ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israël per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum.

11. sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: * illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.

12. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & urbes magnæ atque munitæ: si forte sit Dominus mecum, & potuero delere eos: sicut promisit mihi.

13. Benedixitque ei Iosue: & tradidit ei Hebron in possessionem.

14. atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo usque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israël.

15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est: & Terra * cessavit a præliis.

CAPUT XV.

Sors tribus Iudæ, civitates & ville earum: Othoniel accipit Axam filiam Caleb, eo quod obtinuit Cariath Sepher, additurque ei terra irrigua.

1. **I**gitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit: * A termino Edom, desertum Sin contra Meridiem, & usque ad extremam partem australis plage.

2. initium eius a summitate maris salissimi, & a lingua eius, quæ respicit Meridiem.

3. Egrediturque contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sina: ascenditque in Cadesbarne, & pervenit in Esron, ascendens ad Addar, & circueiens Carcaa,

4. atque inde pertransit in Asemona, & perveniens ad Torrentem Ægypti: eruntque termini eius mare magnum hie erit finis meridiana plage.

5. Ab Oriente verò erit initium, mare salissimum usque ad extrema Jordanis: & ea quæ respiciunt ad Aquilonem a lingua maris usque ad eundem Jordanis fluvium.

6. ascenditque terminus in Beth Hagla, & transit ab Aquilone in Beth Araba: ascendens ad lapidem Boën filij Ruben:

7. & tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso Ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur Fons solis: & erunt exitus eius ad Fontem rogel.

8. ascenditque per convallem filij Ennon ex latere Iebusæi ad Meridiem, hæc est Ierusalem: & inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate Vallis Raphaïm contra Aquilonem.

9. pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephthoa: & pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum.

10. & circuit de Baala contra Occidentem, usque ad montem Seïr: transitque iuxta latus montis Iarim ad Aquilonem in Chesson: & descendit in Bethsames, transitque in Thamma.

11. & pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & transit montem Baala: pervenitque in Iebneel, & magni maris contra occidentem fine concluditur.

12. hi sunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus suis.

13. Caleb verò filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron.

* Num. 34. 3.

Anno M. 2560.

Hæc in Gaigalis distributa facta videtur. Ex culis occasio-ne Caleb ad petendam Hebronem accessit, sup. 14. 7.

* Iudic. 1. 10. & 20. Num. 13. 23. & cap. 14. v. 24.

* Iudic. 1. 10. & 20. Num. 13. 23. & cap. 14. v. 24.

14. * Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesaï & Ahiman & Tholmai de stirpe Enac.

15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum.

16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem.

18. Quæ cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes, inquit?

19. At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius.

20. Hæc est possessio tribus filiorum Iuda per cognationes suas.

21. Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom a Meridie: Cabseel & Eder & Iagur,

22. & Cina & Dimona & Adada, 23. & Cades, & Asor, & Iethnam, 24. Ziph & Telem & Baloth, 25. Asor nova & Cariath, Hesron, hæc est Asor.

26. Amam, Sama, & Molada, 27. & Asergadda & Hassemon & Bethphelet, 28. & Hasersual & Bersabee & Baziothia

29. & Baala & Iim & Esem, 30. & Eltholad & Cesil & Harma, 31. & Siceleg & Medemena & Senseenna, 32. Lebaoth & Selim & Aën & Remon. omnes civitates vigintrinove, & ville earum.

33. In campestribus verò: Estaol & Sarea & Asena, 34. & Zanoë & Ængannim & Taphua & Enaim,

35. & Ierimoth & Adullam, Socho & Azeca, 36. & Saraïm & Adithaim & Gederia & Gederothaim: urbes quatuordecim, & ville earum.

37. Sanan & Hadassa & Magdalgad, 38. Delean & Masepha & Iethel, 39. Lachis & Bascath & Eglon, 40. Chebbon & Leheman & Cethlis

41. & Gideroth & Bethdagon & Naama & Maceda: civitates sedecim, & ville earum.

42. Labana & Ether & Asan, 43. Iephtha & Esna & Nesib, 44. & Ceila & Achzib & Maresa: civitates novem, & ville earum.

45. Accaron cum vicis & villulis suis. 46. Ab Accaron usque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos eius.

47. Azotus cum vicis & villulis suis. Gaza cum vicis & villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus eius.

48. Et in monte: Samir & Iether & Socoth

49. & Danna & Cariathsenna, hæc est Dabir:

50. Anab & Istemo & Anim, 51. Gosen & Olon & Gilo: civitates undecim & ville earum.

52. Arab & Ruma & Esaan, 53. & Ianum & Beththaphua & Apheca, 54. Athmatha & Cariath Arbe, hæc est Hebron, & Sior: civitates novem, & ville earum.

55. Maon & Carmel & Ziph & Iota, 56. Iezraël & Iucadam & Zanoë, 57. Aceaïn, Gabaa & Thamma: civitates decem, & ville earum.

58. Halhul, & Bessur, & Gedor, 59. Mareth, & Bethanoth, & Eltecon: civitates sex & ville earum.

60. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, & Arebba: civitates duæ, & ville earum.

61. In deserto Betharaba, Meddin, & Sachacha

62. & Nebsan, & civitas salis, & Engaddi: civitates sex, & ville earum.

63. Iebuseum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere: habitavitque Iebuseus cum filiis Iuda in Ierusalem usque in præsentem diem.

CAPUT XVI.

Sors Ephraim, urbes & viculi earum, mansitque inter eos Chananeus tributarius.

1. **C**ecidit quoque sors filiorum Iosue ab Iordane contra Iericho & aquas eius, ab Oriente: solitudo quæ ascendit de Iericho ad montem Bethel: 2. & egreditur de Bethel Luza: transitque terminum Archi, Ataroth, 3. & descendit ad Occidentem iuxta terminum Iephleti, usque ad terminos Beth horon inferioris, & Gazer: finiunturque regiones eius mari magno:

Eodem ann. 2560.

4. possederuntque filij Ioseph Manasses & Ephraim.

5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: & possessio eorum contra Orientem Ataroth addar usque Beth horon superiorem.

6. Egredianturque confinia in mare: Machmethath verò Aquilonem respicit, & circuit terminos contra Orientem in Thathathelo: & pertransit ab Oriente Ianoë.

7. descenditque de Ianoë in Ataroth & Naaratha: & pervenit in Iericho, egrediturque ad Iordanem.

8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus eius in mare salissimum. hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.

9. Urbesque separatæ sunt filij Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ earum.

10. Et non interfecerunt filij Ephraim Chananeum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananeus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

CAPUT XVII.

Mediæ tribui Manasse & filiabus Salphaad sortes assignantur, & augetur sors filiorum Ioseph.

Eodem
ann. 2560.

1. **C**ecidit autem sors tribui Manasse: (ipse enim est primogenitus Ioseph) Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad & Basan:

* Num. 26.
30.

2. * & reliquis filiorum Manasse iuxta familias suas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Esriël, & filiis Sechem, & filiis Hopher, & filiis Semida. isti sunt filij Manasse filij Ioseph, mares, per cognationes suas.

* Num. 27.
1. & 36. 11.

3. * Salphaad verò filio Hopher filij Galaad filij Machir filij Manasse non erant filij, sed solæ filia: quarum ista sunt nomina, Maala & Noa & Hegla & Melcha & Thersa.

4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, & Iosue filij Nun, & principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.

5. Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque Terra Galaad & Basan trans Iordanem.

6. Filia enim Manasse possederunt hereditatem in medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant.

7. Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem: & egreditur ad dexteram iuxta habitatores Fontis Taphua.

8. Etenim in sorte Manasse ceciderat Terra Taphua, quæ est iuxta terminos Manasse filiorum Ephraim.

9. Descenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad mare:

10. ita: ut possessio Ephraim sit ab Austro, & ab Aquilone Manasse, & utramque claudat mare, & coniungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab Oriente.

11. Fuitque hereditas Manasse in Issachar & in Aser, Bethsan & viculi eius, & Ieblaam cum viculis suis, & habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, & habitatores Mageddo cum viculis suis, & tertia pars urbis Nopheth.

12. Nec potuerunt filij Manasse has civitates subvertere, sed cæpit Chananeus habitare in terra sua.

13. Postquam autem convulnerunt filij Israël, subiecerunt Chananeos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

14. Locutique sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi unius, cum sim tante multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?

15. Ad quos Iosue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, & succide tibi spatia in Terra Pherazei & Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.

16. Cui responderunt filij Ioseph: Non poterimus ad montana descendere, cum ferreis curribus utantur Chananeæ, qui habitant in terra campestri, in qua site sunt Bethsan cum viculis suis, & Iezraël mediâ possidens vallem.

17. Dixitque Iosue ad domum Ioseph, Ephraim & Manasse: Populus multus es, & magna fortitudinis, non habebis sortem unam,

18. sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum

spa-

spatia: & poteris ultra procedere cum subverteris Chananeum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.

CAPUT XVIII.

Mittuntur qui describant terram reliquarum septem tribuum, & assignatur sors Benjamin.

Eodem
ann. 2560.
desinente.

1. **C**ongregatique sunt omnes filij Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis Terra subiecta.

2. Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.

* Puta anno sequenti, mundi 2561. ant. Chr. 1443. sequens enim exprobratio videtur supponere eos aliquandiu inertes & otiosos fuisse.

3. Ad quos Iosue ait: * Usquequod martetis ignavia, & non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?

4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circumvent Terram, & describant eam iuxta numerum uniuscuiusque multitudinis: referantque ad me quod descriperint.

5. Dividite vobis Terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Ioseph ab Aquilone.

6. mediâ inter hos Terram in septem partes describite: & huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem.

7. quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hereditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manasse iam acceperant possessiones suas trans Iordanem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini.

8. Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Iosue, dicens: Circuite Terram, & describite eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo mittam vobis sortem.

9. Itaque perrexerunt: & lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Iosue in castra Silo. *

10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque Terram filiis Israël in septem partes.

11. Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent Terram inter filios Iuda & filios Ioseph.

* Post septem menses. Ioseph.

12. Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Iordanè: pergens iuxta latum Iericho septentrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conscendens, & perveniens ad solitudinem Bethaven,

13. atque pertransiens iuxta * Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel: descenditque in Ataroth addar in montem, qui est ad Meridiem Beth horon inferioris:

14. Et inclinatur circuiens contra mare ad Meridiem montis qui respicit Beth horon contra Africum: suntque exitus eius in Cariath baal, quæ vocatur & Cariathiarim, urbem filiorum Iuda. hæc est plaga contra mare, ad Occidentem.

15. A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa.

16. Descenditque in partem montis, qui respicit Vallem filiorum Ennom: & est contra septentrionalem plagam in extrema parte Vallis Raphaïm. Descenditque in Geennom (id est, Vallem Ennom) iuxta latum Iebusæi ad Austrum: & pervenit ad fontem Rogel,

17. transiens ad Aquilonem, & egrediens ad Ensemes, id est fontem solis:

18. & pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione Ascensûs Adommin: descenditque ad Abenboën, id est, lapidem Boen filij Ruben: & pertransit ex latere Aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem,

19. & prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla: suntque exitus eius contra linguam maris salissimi ab Aquilone in fine Iordanis ad australem plagam:

20. qui est terminus illius ab Oriente. hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, & familias suas.

21. Fueruntque civitates eius, Iericho & Beth hagla & Vallis Casis,

22. Beth Araba & Samaraim & Bethel

23. & Avim & Aphara & Ophera,

24. Villa Emona & Ophni & Gabee: civitates duodecim, & villæ earum.

25. Gabaon & Rama & Beroth,

26. & Mesphe & Capphara, & Amosa

27. & Recem, Iarephel & Tharela,

28. & Sela, Eleph, & Iebus, quæ est Ierusalem, Gabaath & Cariath: civitates quatuordecim, & villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin iuxta familias suas.

CAPUT XIX.

Assignantur sortes sex tribubus Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephtholim, Dan, & Iosue.

Eodem ann. 2561.

1. **E**T egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hereditas
2. eorum in medio possessionis filiorum Iuda: Bersabee & Sabee & Molada
3. & Hasersual, Bala & Asem
4. & Eltholad, Bethul & Harma
5. & Siceleg & Bethmarchaboth & Hasersusa
6. & Bethlebaoth & Sarohen: civitates tredecim, & villæ earum.
7. Ain & Remmon & Athar & Asan: civitates quatuor, & villæ earum:
8. omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra australem plagam. Hæc est hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas,
9. in possessione & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, & idcirco filij Simeon possederunt in medio hereditatis eorum.
10. Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: & factus est terminus possessionis eorum usque Sarid.
11. Ascenditque de Mari & Merala, & pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Ieconam.
12. Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththabor: & egreditur ad Dabereh, ascenditque contra Iaphie.
13. Et inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethhepher & Thacasin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa.
14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon: suntque egressus eius Vallis Iephtahel,
15. & Cateth & Naalol & Semeron & Ierala & Bethlehem: civitates duodecim, & villæ earum.
16. Hæc est hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes & viculi earum.
17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.
18. fuitque eius hereditas Iezraël & Casaloth & Sunem
19. & Hapharaim & Seon, & Anaharath
20. & Rabboth & Cesion, Abes,
21. & Rameth, & Engannim, & Enhadda & Bethpheses.

22. Et pervenit terminus eius usque Thabor & Sehesima & Bethsames: eruntque exitus eius Iordanis: civitates sedecim, & villæ earum.
23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes, & viculi earum.
24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas:
25. fuitque terminus eorum Halcath & Chali & Beten & Axaph
26. & Elmelech & Amaad & Messal: & pervenit usque ad Carmelum maris & Sihor & Labanath.
27. Ac revertitur contra orientem Bethdagon: & pertransit usque Zabulon & Vallem Iephtahel contra Aquilonem in Bethemec & Nehiel. Egrediturque ad læviam Cabul,
28. & Abran & Rohob & Hamon & Cana, usque ad Sidonem magnam.
29. revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, & usque Hosa: eruntque exitus eius in mare de funiculo Achzibar:
30. & Amma & Aphec & Rohob. civitates vigintidua, & villæ earum.
31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque & viculi earum.
32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas:
33. & cepit terminus de Heleph & Elon in Saananim, & Adami, que est Neceb, & Iebnaël usque Lecum: & egressus eorum usque ad Iordanem:
34. revertiturque terminus contra Occidentem in Azanothabor, atque inde egreditur in Hucua, & pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Iuda ad Iordanem contra ortum solis.
35. civitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath, & Reccath & Cenereth,
36. & Edema & Arama, Asor
37. & Cedes & Edrai, Enhasor.
38. & Ieron & Magdalel, Horem & Bethanath & Bethsames: civitates decem & novem, & villæ earum.
39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes & viculi earum.
40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:
41. & fuit terminus possessionis eius Sara & Esthaol, & Hirsemes, id est civitas solis.

42. Se-

42. Selebin & Aialon & Iethela,
43. Elon & Thenna & Acron,
44. Elthece, Gebbethon & Balaath,
45. & Iud & Bane & Barach & Gethremmon:
46. & Meiarcon & Areeon, cum termino qui respicit Ioppen,
47. & ipso fine concluditur. Ascenduntque filij Dan, & pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: & percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, & habitaverunt in ea, vocantes nomen eius Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui.
48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes & viculi earum.
49. Cùmque compleret sorte dividere Terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israël possessionem Iosue filio Nun in medio sui,
50. iuxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & edificavit civitatem, habitavitque in ea.
51. Hæc sunt possessiones, quas sorte dividerunt Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Israël in Silo, coram Domino ad ostium Tabernaculi testimonij, partitique sunt Terram.*

CAPUT XX.

Sex refugij civitates cis & trans Iordanem, & qui ad eas possint confugere: & quamdiu ibi remanere debeant.

* Ann. M. 2562.

* Num. 35. 11. Deut. 19. 2.

1. **E**T locutus est Dominus * ad Iosue, dicens: Loquere filiis Israël, & dic eis:
2. Separate urbes fugitivorum, * de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi;
3. ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: & possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis:
4. cùm ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea, que se comprobent innocentem: sique suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.
5. Cùmque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduumve eius probatur inimicus.
6. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti

sui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, & ingreditur civitatem & domum suam de qua figerat.

7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath Arbe, ipsa est Hebron in monte Iuda.

8. Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho * statuerunt Bosor, * Deut. 4. quæ sita est in campestri solitudine de 43. tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad & Gaulon in Basan de tribu Manasse.

9. Hæc civitates constitute sunt cunctis filiis Israël, & adventis: qui habitabant inter eos: ut figerent ad eas qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi, effusus sanguinem vindicare cupientes, donec staret ante populum expositurus causam suam.

CAPUT XXI.

Levitis assignantur civitates quadraginta octo cum suburbaniis: & completâ Dei promissione olim Patriarchis factâ, pax & requies datur filiis Israël.

1. **A**ccesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognitionum per singulas tribus filiorum Israël:
2. locutique sunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: * Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.
3. Dederuntque filij Israël de possessionibus suis iuxta imperium Domini, civitates & suburbana eorum.
4. Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis de tribubus Iuda, & Simeon, & Benjamin, civitates tredecim:
5. Et reliquis filiorum Caath, id est Levitis, qui superfuert de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manasse, civitates decem.
6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar & Aser & Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan civitates numero tredecim.
7. Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon urbes duodecim.

Eodem ann. 2562.

* Num. 35.

S 3

8. De-

8. Dederuntque filij Israël Levitis civitates & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes.

9. De tribubus filiorum Iuda & Simeon dedit Iosue civitates: * quarum ista sunt nomina,

10. filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est)

11. Cariath Arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum.

12. * Agros verò, & villas eius dedit Caleb filio Iephone ad possidendum.

13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugij civitatem, ac suburbana eius: & Lobnam cum suburbanis suis:

14. & Iether, & Estemo,

15. & Holon, & Dabir,

16. & Ain, & Ieta, & Bethsames, cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus.

17. De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, & Gabae,

18. & Anathoth & Almon, cum suburbanis suis: civitates quatuor.

19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis.

20. Reliquis verò per familias filiorum Caath Levitici generis hæc est data possessio.

21. De tribu Ephraim urbes confugij, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer

22. & Cibsaim & Beth horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

23. De tribu quoque Dan, Eltheco & Gabathon,

24. & Aialon & Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

25. Porrò de dimidia tribu Manasse, Thanach & Gethremmon, cum suburbanis suis civitates duæ.

26. Omnes civitates decem, & suburbana earum, date sunt filiis Caath inferioris gradus.

27. Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugij civitates, Gaulon in Basan, & Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas.

28. Porrò de tribu Issachar, Cesion, & Dabereth,

29. & Iaramoth, & Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

30. De tribu autem Aser, Masal & Abdon,

31. & Helcath, & Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

32. De tribu quoque Nephthali civitates confugij, Cedes in Galilea, & Hammoth Dor, & Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres.

33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.

34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Iecnam & Cartha

35. & Damma & Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis.

36. De tribu Ruben ultra Iordanem contra Iericho civitates refugij, Bosor in solitudine, Misor & Iaser & Iethson & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.

37. De tribu Gad civitates confugij, Ramoth in Galaad, & Manaïm & Hesebon & Iaser, civitates quatuor cum suburbanis suis.

38. Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes suas, duodecim.

39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israël fuerunt quadraginta octo

40. cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.

41. Deditque Dominus Deus Israël omnem Terram, quam traditurum se patribus eorum iuraverat: & possederunt illam, atque habitaverunt in ea.

42. Dataque est ab eo pax * in omnes per circuitum nationes: nullusque eorum hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.

43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

CAPUT XXII.

Remissa ad suam possessionem trans Iordanem tribus Ruben, & Gad, & dimidia Manasse, suspitionem movent ceteris tribubus propter extractum ad Iordanem altare: sed missi legati suscipiunt iustam eorum excusationem.

1. **E**odem tempore vocavit Iosue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manasse,

2. dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis,

3. nec

3. nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.

4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est: revertimini, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, * quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Iordanem:

5. ita dumtaxat, ut custodiatis attentè, & opere completis mandatum & legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis eius, & observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac servietis in omni corde, & in omni anima vestra.

6. Benedixitque eis Iosue, & dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua.

7. Dimidia autem tribu Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: & idcirco mediæ, quæ superfuit, dedit Iosue sortem inter ceteros fratres suos trans Iordanem ad Occidentalem plagam. Cùmque dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixisset eis,

8. dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

9. Reversisque sunt, & abierunt filij Ruben, & filij Gad, & dimidia tribus Manasse, a filiis Israël de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad Terram possessionis suæ, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in manu Moysi.

10. Cùmque venissent ad tumulos Iordanis in Terram Chanaan, ædificaverunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.

11. Quod cùm audissent filij Israël, & ad eos certi nuncij detulissent ædificasse filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse altare in Terra Chanaan, super Iordanis tumulos, contra filios Israël:

12. convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, & dimicaret contra eos.

13. Et interim miserunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis,

14. & decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.

15. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse in Terram Galaad, dixeruntque ad eos:

16. Hæc mandat omnis populus Domini:

Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum, & a cultu illius recedentes?

17. An parum vobis est * quòd peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt.

18. Et vos hodiè reliquistis Dominum, & cras in universum Israël ira eius desæviet.

19. Quòd si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad Terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantum ut a Domino, & a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.

20. * Nonne Achan filius Zare præterit mandatum Domini, & super omnem populum Israël ira eius incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus perisset in scelere suo.

21. Responderuntque filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse principibus legationis Israël:

22. Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse novit, & Israël simul intelliget: si prævaricationis animo, hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in presenti:

23. & si ea mente fecimus ut holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat & iudicet

24. & non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filij vestri filiis nostris: Quid vobis & Domino Deo Israël?

25. terminum posuit Dominus inter nos & vos, o filij Ruben, & filij Gad, Iordanem fluvium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filij vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius,

26. & diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,

27. sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus Domino, & iuris nostri sit offerre & holocausta, & victimas, & pacificas hostias: & nequaquam dicant cras filij vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino.

28. Quòd si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta,

* Num. 25.

Deut. 4. 3.

* Sup. 7. 1.

Eodem ann. 2662. Aut. Chr. 1442.

neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum.

20. Absit a vobis hoc scelus ut recedamus a Domino, & eius vestigia relinquamus extructo altari ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum eius.

30. Quibus auditis, Phinees sacerdos, & principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt.

31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quòd nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, & liberastis filios Israël de manu Domini.

32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben & Gad de Terra Galaad, finium Chanaan ad filios Israël, & retulit eis.

33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filij Israël, & nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, & deleerent Terram possessionis eorum.

34. Vocaveruntque filij Ruben, & filij Gad altare, quod extruxerant, Testimonium nostrum, quòd Dominus ipse sit Deus.

CAPUT XXIII.

Iosue senex, iamque moribundus exhortatur filios Israël ad servanda Dei præcepta, & cavendam societatem cum gentibus.

* Puta annis circiter octo post prædicta. (Confer cum cap. 11. 12.) Anno M. 2570. Ant. Chr. 1434. ætatis Iosue 110. & ultimo.

1. **E** Voluto autem multo tempore, * postquam pacem dederat Dominus Israël, subiectis in gyro nationibus universis, & Iosue iam longævo, & per senilis ætatis:

2. vocavit Iosue omnem Israël, maioresque natu, & principes ac duces, & magistros, dixitque ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum:

3. vosque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit:

4. & nunc quia vobis sorte divisit omnem Terram, ab Orientali parte Iordanis usque ad mare magnum, multaque adhuc supersunt nationes:

5. Dominus Deus vester disperdet eas & auferet a facie vestra, & possidebitis Terram, sicut vobis pollicitus est.

6. tantum confortamini, & estote soli-

citi, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram:

7. ne postquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum, & serviatu eis, & adoretis illos:

8. sed adhereatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc.

9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit.

10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnavit, sicut pollicitus est.

11. Hoc tantum diligentissime præcave-
te, ut diligatis Dominum Deum vestrum.

12. Quòd si voleritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adherere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare:

13. iam nunc scitote quòd Dominus Deus vester non eas delectat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis.

14. * En ego hodiè ingredior viam universæ terræ, & toto animo cognoscitis quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. *3. Reg. 2. 2.

15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt sic adducet super vos quicquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis,

16. eò quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & servieritis diis alienis, & adoraveritis eos: cito atque velociter consurgit in vos furor Domini, & auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

CAPUT XXIV.

Commemorantur beneficia Israëlitis à Deo exhibita, fœdus populi cum Domino, mors Iosue, sepultura ossium Ioseph, & mors Eleazari sacerdotis.

1. **C**ongregavitque Iosue omnes tribus Israël in Sichem, & vocavit ann. 2570. maiores natu, ac principes, & iudices, &

& magistros: steteruntque in conspectu Domini:

2. & ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, * Thare pater Abraham, & Nachor: servieruntque diis alienis.

* In urbe Ure scilicet, & ipsa trans Euphratem in Mesopotamia sita. Confer cum Act. 7. 2. & Genes. 11. 31. Gen. 11. 26. Gen. 11. 31. * Gen. 21. 2. * Gen. 25. 26. * Gen. 36. 8. * Gen. 46. 6. * Exod. 3. 10. * Exod. 12. 37. * Exod. 14. 9.

3. * Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiae finibus: & adduxi eum in Terram Chanaan: multiplicavique semen eius,

4. * & dedi ei Isaac: Illique rursum dedi Jacob & Esau. * E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: * Jacob verò, & filij eius descenderunt in Ægyptum.

5. * Misique Moysen & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis atque portentis.

6. * Eduxique vos & patres vestros de Ægypto, & venistis ad mare: persecuti sunt * Ægyptij patres vestros cum curribus & equitatu, usque ad Mare rubrum.

7. Clamaverunt autem ad Dominum filij Israël: qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios, & adduxit super eos mare, & operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, & habitastis in solitudine multo tempore:

* Num. 31. 24. & 29.

8. & introduxi vos in Terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. * Cùmque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis Terram eorum, atque interfecistis eos.

* Num. 22. 5.

9. Surrexit autem Balac filius Saphor rex Moab, & pugnavit contra Israël. * Misitque & vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis:

10. & ego nolui audire eum, sed e contrariis pro illum benedixi vobis, & liberavi vos de manu eius.

* Sup. 3. 14. & 6. 1. & 11. 3.

11. * Transistis Iordanem, & venistis ad Iericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus & Chanaanæus, & Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Iebusæus: & tradidi illos in manus vestras.

* Exod. 23. 28. Deut. 7. 20. Sup. 11. 20.

12. * Misique ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo.

13. Dedi que vobis Terram, in qua non laborastis, & urbes quas non edificastis, ut habitaretis in eis: vineas & oliveta, quæ non plantastis.

* 1. Reg. 7. 3. Tob. 14. 10.

14. * Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfectò corde atque verissimo:

& auferete deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, ac servite Domino.

15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatu, optio vobis datur: eligite hodiè quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, * an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis: ego autem & domus mea serviemus Domino.

* Nempe in Ure urbe Chaldæorum. Vid. sup. vers. 2.

16. Responditque populus, & ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, & serviamus diis alienis.

17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros de Terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videtibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, & in cunctis populis, per quos transivimus.

18. Et eiecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.

19. Dixitque Iosue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.

20. Si dimiseritis Dominum, & servieritis diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona.

21. Dixitque populus ad Iosue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus.

22. Et Iosue ad populum, Testes, inquit, vos estis: quia ipse elegeritis vobis Dominum ut serviatu ei. Responderuntque: Testes.

23. Nunc ergo, ait, auferete deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël.

24. Dixitque populus ad Iosue: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis eius.

25. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem.

26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.

27. & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium quòd audivit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.

28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.
 29. Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun servus Domini, centum & decem annorum:
 30. sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathare, quæ est sita in monte Ephraim, a Septentrionali parte montis Gaas.
 31. Servivitque Israël Domino cunctis diebus Iosue & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nove-

runt omnia opera Domini quæ fecerat in Israël.
 32. * Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israël de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, * quem emerat Iacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.
 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data est ei in monte Ephraim.

* Gen. 50. 24.
 * Exod. 13. 19.
 * Genl. 33. 19.

LIBER IUDICUM,

HEBRAICE SOPHETIM.

HIC liber ab Hebræis SOPHETIM nuncupatur, idest, IUDICES; sic enim summi magistratus Israëlitarum ante constitutos Reges vocabantur. Refert itaque statum Reipublicæ a morte Iosue ad Samsonis mortem, & servitutes varias exhibet, quibus Deus eorum peccata castigabat. Sub finem verò aliqua habentur exempla, quibus, etiam ante tempora servitutem, quam corruptis moribus & ad Idololatriam propensi fuerint, ostenditur. Michæ siquidem, Tribus Dan, & Beniamitarum historiae, ante primam servitutem videntur collocande.

Quantum autem sit temporis totius libri historia, valde dubium est: Quidam enim annos Iudicum ab annis servitutem separatim numerandos sentiunt, alij aliter. Nos non tam per servitutes, quam per pacificationes comparabimus. Nam cum frequens sit Hebræis uti numero cardinali pro ordinali: ubi quadraginta vel octoginta annis terram quiescisse dicitur; cum viris doctis, de octuagesimo vel quadragesimo anno, id explicandum putamus, ab ultimâ semper pactâ pace annos dinumerando. Quod cum ita fiet, invenietur hęc librò spatium 317. annorum comprehendere: ab anno mundi scilicet 2570. ad annum 2887. qui diligenter ad marginem ordine suo adscribentur.

CAPUT PRIMUM.

Iudâ duce unâ cum fratre ipsius Simeone plurimæ gentium civitates expugnantur: Othoniel obtinuit Cariath Sepher duxit Axam filiam Caleb, additâ terrâ irriguâ: Chananeæ tributarij servantur.

Anno M. 2570.
 Ant. Chr. 1434.



IOST mortem Iosue consulerunt filij Israël Dominum dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananeum, & erit dux belli?
 2. Dixitque Dominus: Iudas * ascendet: ecce tradidi Terram in manus eius.
 3. Et ait Iudas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananeum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

* Id est tribus Iudæ: Sic infra tribus Simeonis. Dux verò tribus Iudæ erat Caleb,

4. Ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananeum, ac Pherezæum in manus eorum: & percurserunt in Bezece decem millia virorum.
 5. Inveneruntque Adonibezec in Bezece, & pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananeum, & Pherezæum.
 6. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæcis summitatibus manuum eius ac pedum.
 7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Ierusalem, & ibi mortuus est.
 8. * Oppugnantes ergo filij Iudæ Ierusalem, ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio civitatem.
 9. Et postea descendentes pugnaverunt

* Pro oppugnaverunt & ceperunt. Hæc autem hic adducuntur, ut appareat quâ occasione Deus tribum Iudæ reliquit præterit.

* Jer. 15. 14.

* Id est nepos, ut nunc loquuntur si ve fratris filius.

* Iethro dictus est Cineaus à gente. Vide infr. 24. 21. Hoc est Iericho. Dent. 34. 2.

* Quamvis ipse Iethro nolisset cum Israëlitis ascendere. Num. 10. 30. tamen filij eius se illis concinxerunt ut patet hinc, & infra 4. 11. item 1. Reg. 15. 6. ac 1. Paral. 2. 55. vid. Infr. 4. 11. Num. 14. 24. Ier. 15. 14.

eontra Chananeum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campestribus.
 10. * Pergensque Iudas contra Chananeum, qui habitabat in Hebron, (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percussit Sesai, & Ahiman, & Tholmai:
 11. atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum.
 12. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.
 13. Cùmque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater * Caleb minor dedit ei Axam filiam suam coniugem.
 14. Quam pergenter in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspicasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes?
 15. At illa respondit: da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.
 16. Filij autem Cinez * cognati Moysi ascenderunt de civitate palmaram, cum filiis Iuda in desertum sortis eius *, quod est ad meridiem Arad, & habitaverunt eum eo.
 17. Abiit autem Iudas cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananeum qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema.
 18. Cepitque Iudas Gazam cum finibus suis, & Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.
 19. Fuitque Dominus cum Iuda, & montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.
 20. Dederuntque Caleb Hebron, * sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac.
 21. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleverunt filij Benjamin: habitavitque Iebusæus cum filiis Benjamin in Ierusalem, usque in præsentem diem.
 22. Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.
 23. Nam cùm obsiderent urbem, quæ prius Luz vocabatur,
 24. viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam.
 25. Qui cum ostendisset eis, percusse-

runt urbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt.
 26. Qui dimissus, abiit in Terram Hethim, & ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem.
 27. Manasses quoque non delevit Bethsan, & Thanae cum viculis suis, & habitatores Dor, & Ieblaam, & Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananeus habitare cum eis.
 28. Postquam autem confortatus est Israël, fecit eos tributarios, & delere noluit.
 29. Ephraim etiam non interfecit Chananeum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.
 30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, & Naalot: sed habitavit Chananeus in medio eius, factusque est ei tributarius.
 31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob:
 32. habitavitque in medio Chananeæ habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.
 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, & Bethanath: & habitavit inter Chananeum habitatorem Terræ, fueruntque ei Bethsamitæ & Bethanith tributarij.
 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad pliniora descenderent:
 35. habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Aialon & Salebim. Et aggravata est manus domus Ioseph, factusque est ei tributarius.
 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis, petra, & superiora loca.

CAPUT II.

Angelus Dei beneficia refert: quo audito, flet populus: post mortem tamen Iosue & coævorum, Israël frequenter liberatus semper in peiora recidit.

ASCENDITQUE Angelus Domini de Galgalis ad Locum stentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in Terram, pro qua iuravi patribus vestris: & pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum:
 2. ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ huius, sed aras